

302  
17

25



IOANNIS CASELII

EΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΣ,

*Siue* *discipulo* *uero* *su.*  
 DE ACADEMIA. *M. Jo.*  
*Scharthol. Superint. Guelph.*  
 Orationis argumentum se-  
 quente ad lectorem epistola plenius  
 declaratur. *Io. Caselii*



Helmæstadij in acad. IVLIA.  
ANNO

CID IO XCII.



## LECTORI S.

**P**rimo vere huius anni sapientissimus idemq; benignissimus dux noster, HENRICVS IVLIVS, delectos aula prouinciaq; proceres in academiam Iuliam ablegarat, qui viderent, quibus opus esset, alia mandarent, alia constituerent, de alijs delibarent: deniq; nouum priuilegiorum diploma ederent. Tanta igitur merita cum silentio minimè praterenda viderentur, datum fuit mihi id negotij, vt publico nomine aliquid dicerem, quo gratus noster animus declararetur. Oratione persequi conatus fui, quæ paucis illis diebus acta deliberataq; fuerant. Ea si æquus lector leget, multa cognoscet, quæ ad salutarem emendationem academiarum faciant, meq; non sine causa orationis indicem fecisse, DE ACADEMIA, iudicabit. Opto, vt hoc exemplum principes, qui academias fouent, amulentur, vel etiam meliorem rationem ostendant alijs: etsi in hunc diem hac verior non video. Meminerint autem inter cætera, quibus quocunq; loco hoc sacrosanctum negotium datum fuerit, vt omnibus academia partibus consulant, ne vnã sic stabilire videantur, vt seu negligant seu labefactent cæteras, non dubitantes alicubi compage edificiij soluta, illud totum breui corruiturum. Id verò sedulo & omni fide curabunt, quibus reuera cura est sua dignitas & salus publica. Ad neutrum qui respiciunt, vel affectu acri, vel cogitatione quadam sua à vero sine, ad proprium, aut quemuis alienum abrepti, aut negotium non intelligunt, quod pleriq; se putant intelligere, sed intelligunt pauci admodum; eos valde aberrare, multumq; communi vitæ mortalium nocere, nihil mirum est.

Ioannes Caselius.



AD ILLVSTREM  
 & generosum dominum,  
 VVOLFG. ERNESTVM  
 COMITEM Stolbergæ, Koenigstæni, Rut-  
 schefurti, & VVernigerodæ, DOMINVM  
 Epstani & c. aulæ Brunsvig principem,  
 & ducis vicarium.

Ioannis Caselii.

PROOEMIUM.

Illustris & generose domine:

**N** ore omnium est, & res ipsa docet: nullam  
 rem esse tam facilem, quin fiat difficilis, quam  
 inuitus facias. Audiui, qui alterum sentirent;  
 nihil esse adeo difficile, quin fiat facile, quod  
 volens libensq; facias. Neq; verò etiam huic  
 opinioni refragabor, siue potius ambas inter se committam.  
 Neutrum enim ad id facit, quod nunc ago: etsi vtraq; eò,  
 quo volo, mihi iter pandit. Sic autem existimo, esse in illis  
 quoq;

A 2

quoq; quæ cupidè aggrediaris, & per se sint facillima, difficultatis sæpè non parum. Mihi id cum aliàs antè non rarò, tum nunc vsu venit. Ad te scribendi, cumq; ijs litteris mittendi, quæ viderentur, consilium iam pridem cepi: negotium facilè, & alius dixerit, & ipse credidi: tamen dum id cogito, cura non vacat animus, difficultatis testis locuples: ac quamuis sollicitus, vix tamen effugero, quo minus vel importunè, vel insolenter, vel abiectè, vel nimis blandè aliquid egisse videar. Quod si animum introspicias, vel quicumq; hæc præterea leget, is omni, spero, me culpa liberet. Eius tibi satis certum plenumq; indicium facere vix poterò: ex notis quibusdam si videas, quo sim animo, non mihi nihil assecutus videbor. Humanitatem autem tuam, & eruditionem, & comitatem, & prudentiam, & acre sapientiæ studium, quo etiam hodie in cura reip. flagras, & plus præstas, quàm qui id solùm agunt: illa ego omnia & agnosco, & admiror: ad te minus prædico, ne assentari videar: prædicabo, cum locus erit ad alios, quò magis innotescat, quanti te atq; ipsam virtutem faciam. Persuasi autem mihi, te, quamuis me in tuis habeas, tamen hætenus desiderare, quod à me tibi deberi, & ipse intelligis, & ego infitiri non debeo, nec vllò modo volo. Cùm enim initio & sermonibus & benevolentia tua me dignatus fuisses, ex quadam fama vel opinione probitatis & doctrinæ; nullum ego ex eo tempore meæ in te obseruantiaæ tale signum edidi, quod egregiaæ tuæ in me voluntati respondere videretur: nec tamen aliud te requirere sciebam, quàm quod a me deberet expectari, longè infra tuam conditionem posito. Nunc postquam mihi eius rei luculenta occasio data fuit, eam vtraq; vt aiunt, manu prehendi. Quam enim, de beneficentissimi ducis nostri HENRICI IVLII, erga academiam Iuliam benevolentia siue meritis, orationum publico nomi-

nomine habui, ad te potissimum mittendam censeo, idemq;  
 amici mecum sentiunt, principem illustrem illius legationis, quæ  
 singularia beneficia, non nobis solum, sed vniuersæ rei litte-  
 rariæ attulisset. Beneficia autem illa, & principis in vniuer-  
 sum, & aliqua parte etiam vestra sunt. Quam enim ab illius  
 bonitate proficiscuntur, tam ex vestris consilijs siue ex  
 communi & illius & vestra sapientia promanant. Patere,  
 quoniam hunc sermonem ingressus sum, ut loquar paullo  
 liberius. Primum igitur, quæ data sunt, non minus sapien-  
 ter, quam munificè, & nobis & posteris eadem rata futura  
 in perpetuum scimus: quæ rectè capta sunt, feliciter per-  
 fectum, quæ prolixè promissa, regiè præstitum iri confi-  
 dimus. Nec enim dux ipse hanc curam primariam, vel in  
 grauissimis negotijs obliuiscetur, à patre acceptam, & su-  
 sceptam vltro: præsertim cum senatores idem urgeatis, &  
 ordines prouinciæ eodem respiciant. Cæterum ab omni  
 parte videbitur, tum si quid sit oriaturne incommodi, ut  
 hinc auertatur, tum quæ ex usu sint academiæ Iuliæ, sedulo  
 conquirantur. Mittam nunc alia: quod in mentem venit,  
 eius mentionem faciam: etsi omnes idem videre videantur.  
 Quis enim nescit aut dubitat, esse ex re litteraria, ut in sua  
 quisq; disciplina viri præstantes doceant? Præstantes di-  
 co, non solum scientia abundè & præ pluribus instructos,  
 sed etiam in docendo disertos & perspicuos, nec leuiter an-  
 tè versatos. Operæ precium est videre, quæ fiat, ut in acade-  
 mijs passim talium sit penuria. Inueniri posse in quolibet  
 genere disciplinæ, ipse non dubito: vidi qui ad manum es-  
 sent, negligi aut deterreri. Primum enim, vbi merces do-  
 centi tribuitur, vnde solus in diem vix viuatur; quis eum lo-  
 cum ambiat, nisi qui eruditionis nihili, & nullius ingenij sit?  
 Demus esse præstantem, de cuius tamen industria hæctenus  
 non constiterit, cui munus docendi demum detur. Is spe-  
 raturum

ratum acceptat cupidè : verum de alio magis , quàm de eo, quod adeptus fuerit, ornando cogitare necesse habet. Fortè non segniter gerat munus suum, sed maiore cura affectet aliud. Hæc est eorum fors potissima, qui bonas litteras, aut aliquam philosophiæ partem explicant. Iis præcipuè prospiciendum esse censeo : nec poterit non sumptus tolerare ærarium : etsi huius ratio non potior, quàm publici boni haberi debeat. Nec ita multis opus est : nec putandum, plures vix tinctos litteris, aut in primo tirocinio desidentes plus præstare, quàm pauci benè docti viri, & ijdem industrij faciant : accedit, quod quædam in scholis regijs publicè tradi, non ex earum dignitate est : ex priuatis magistris accipiant. Hoc enim demum decuit nouitios bonarum artium magistros potius, quàm vt docendo & disputando nouas, falsas, absurdas, ridiculas opiniones instillent adolescentibus, aut parui ingenij, aut antè in litteris non exercitis. Huic igitur malo medicinam faciet æquitas, si labori merces respondeat. Est & aliud non academiæ solum, sed plurimum quoq; collegiorum intestinum : & aperiendum mature, ne hic quoq; fiat, quod non vno in loco in perniciem rei litterariæ frequentari vidi, non sine stomacho. An non enim indignè ferendum est, ex ordine doctorum nimis multos, sic priuatim sibi suisq; consulere, vt publicam vtilitatem & dignitatem, non negligere, sed pænè proderent videantur ? Namq; si locus vacet, quid consilij capiendum sit, nemo ignorat : sed ibi tum laborat pater pro filio, frater pro fratre, locer pro genero, aut quis pro eo, quem sibi generum speret, doctor pro alumno, sodalis pro sodali. Sic verò existimandum est, munus academicum non esse beneficium, quod à quoquam priuato in alterum conferri, aut à fratre donari, aut legari vt partem patrimonij, aut pro dote dari possit. Publicum enim est, & salutis publicæ destinatum.





tum. Etsi verò amicis multa, consanguineis singularia, liberis omnia debemus: tamen multo magis patriæ omnia, deniq; nosmet ipsos debemus. Nec velit vir bonus, quod suum non sit, cuiquam tribuere benevolentia aliqua, nedum, cui id minime debeat: hoc est indigno, qui tale munus neq; ex utilitate neq; ex dignitate publica gesturus videatur. Doctoris tamen studium & amici minus improbari possit, quod sit testimonij loco, sic vt benevolentia censuræ cedat. Cæteros, in quibus iudicium plarumq; occæcat amor, non solum ea culpa vacare, sed etiam eiusmodi suspicionem à se amoliri, nec auctoritate, si qua cuius sit, abuti, eamq; in dominatum vertere videri oporteat. Huius ego sum sententiæ & animi: nec sensuros aliter, nec aliter facturos bonos viros, mihi habeo persuasissimum. Sed vt ad me redeam, mitto eius generis alia, & de ijs, quæ attigi, dicendi finem facio, non oblitus illius meæ sollicitudinis, cuius initio memini. Neq; tamen non video, vt hæc ipsa aliter accipi possint, quàm à me scripta sint. Scripsi autem non accusandi querendive gratia, sed monendi. Dabo etiam: nec hoc fuisse necessarium, quod & alij vel eadem vel his meliora videant: tamen animi mei erga litteras & remp. testificationem bonos probaturos esse confido. Te verò illustris domine, quæso, vt meum hoc meæ in te observantiæ argumentum, non repudies, meq; quod iam pridem visus fuisti facere, in tuis habeas: deniq; si ferat occasio, duci nostro meum erga ipsum & patriam studium verbo commendes. Helmæstadio in academia IVLIA. Kal. Octobr. An.

CIO IO XCII.

Handwritten text in a medieval Gothic script, oriented upside down. The text is arranged in approximately 22 horizontal lines. At the bottom of the page, the following words are clearly legible: "Anno Domini Millesimo CCCCmo lxxij", "die xv", and "Kl[ar] Augusti". The rest of the text is significantly faded and mostly illegible due to the age and orientation of the manuscript.



  
 IOAN. CASELII.  
 ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚΟΣ  
 SIVE  
 DE ACADEMIA.


 Vm senatus hic noster  
 amplissimus sapiente consilio de-  
 creuisset, vt quamprimùm duci  
 nostro, HENRICO IVLIO,  
 gratiæ agerentur publicè, idq; per me fieri,  
 plærifq; vestrum placere animaduenterem;  
 vestræ auctoritati refragandum non putau:  
 qui hoc dicendi munus cui nostrum videre-  
 tur, bono iure demandaretis. Huius tamen  
 animi mei ad obsequendum promptitudinis  
 obuium à vobis præmium peto: nec verò ali-  
 ud, quàm quod vltrò, vt alijs, ita mihi, quæ  
 vestra est in omnes humanitas, tribueretis.  
 Quæso igitur, non tam, vt me attentè audiatis,  
 B quod

quod ex hoc loco oranti haecenus negatum  
intelligo nemini, quàm vt de omni mea ora-  
tione amicè existimetis: nec solum medio-  
critatem nostram æqui boniq; faciatis, sed et-  
iam veniam mihi detis, quam quisq; sibi dari  
vellet, si quid vel de tot tantisq; rebus præter-  
missum, vel minus disertè à me expositum  
fuerit. Video enim non posse aliter fieri, quàm  
vt multò à me etiam plura requiratis, cum  
ipse in ijs, quæ cum diligentia his diebus me-  
ditatus fui, plæraq; modò ad dicendum veni-  
ens, minus probem pæneq; repudiem. Nihi-  
lo verò minus, quod in me recepi facilius,  
præstandum esse video: atq; in eo me ita ge-  
ram, vt quod minus potuerim, voluisse tamen  
ex ipso conatu intelligatis. Initio autem hoc  
mihi dabitis, quod qui veniunt ad dicendum,  
plæriq; sibi sumunt, vt si fortè certior & meli-  
or ratio alijs esse videatur, ipsi tamen arbitra-  
tu suo orationem dispertiantur & exædificent.  
Licebit igitur mihi per vos, vt quod multi-  
plex est ducis HENRICI IULII benefi-  
cium, id ego verbis meis bipartitum faciam,  
vel, quoniam non vnum alterumue est, sed  
ipsa

ipsa innumera sunt, duas veluti classes meri-  
 torum constituam, illustrem legationem &  
 nouum diploma priuilegiorum. Placuit e-  
 nim sapienti principi, vt vno eodemq; tempo-  
 re, exponeretur, non solū quod graue videre-  
 tur, sed etiam quod gratum appareret: etsi hæc  
 priuata commoda sunt, nec illa incommoda  
 dici mereantur, nec bonis oneri esse possint,  
 quæ faciant ad salutem publicā: accedit, quod  
 & in his singulorum & felicitas vertitur & di-  
 gnitas. Cæterum de legatione pauca paullo  
 altius repetam. In rebus humanis fieri non  
 posse existimandum est, vt quæ præclare et-  
 iam constituamus siue ordiamur, ea ipsa simul  
 ad perfectionem suam perducantur stu-  
 dio operaq; nostra. Siue enim ciuitatum  
 originem, siue villulæ ædificationem respicia-  
 mus, id ita esse deprehendemus. Qui primus  
 Athenas condidit, haud perfecit: qui à Ce-  
 crope conditas legibus ornauit, non ille nihil  
 laboris reliquum Soloni fecit. Non autem  
 obscurum est, quis fundamenta vrbis iecerit,  
 quæ multis deinceps sæculis legibus, consilijs,  
 opibus, imperio perfecta fuit, si modò quid in

rebus humanis perfici posse dici potest. Sed  
quid ago in re tam manifesta? Liceat mihi  
per vos non nisi vno adhuc exemplo vti.  
Nec Lycurgus ita Spartam constituit quam-  
uis optimis legibus, vt non perpetuis epho-  
ris opus esset. Hoc igitur munificus ille &  
sapiens princeps, I V L I V S, academiae Iu-  
liae primus auctor, nec ipse ignorabat, & re  
ipsa fieri videbat. Cùm enim academiam  
fundaret, fecit quod ipse potuit, alijs alia  
mandauit: praestitum fuit fideliter quan-  
tum quisq; ingenio, opera & tempore vale-  
bat: laudem fundamenti feliciter iacti ade-  
ptus fuit statim, quam infringere nulla po-  
terit sequentium saeculorum longinquitas.  
Ipse igitur sub academiae suae primum or-  
tum, non solum alia desiderari, sed etiam  
quaedam rectè constituta tentari, & aliena  
interdum ab instituto geri facile animad-  
uertit, cū in nulla quantūuis ardua negotia  
sicanimum oculosq; suos conijceret, vt in  
hoc suum & nouum & proprium opus. Fa-  
ciebat dignum regia sapientia, vt non in-  
quireret solum in omnia, sed etiam corrige-  
ret, quan-

302  
ret, quantum quoq; tempore fieri posset:  
quin hoc negotium aliquando commen-  
dabat filio, principi HENRICO IV-  
LIO, ad omnia summa nato, litteris supra  
principis conditionem erudito, acerrimo  
& litterarum & doctorum hominum cen-  
sori, nec minus benè erga academiam ani-  
mato, quàm patrē esse semperq; fuisse ani-  
maduerteret, eiusq; conseruatorem, qui  
ipsemet esset, & perpetuus vellet perhiberi,  
deceret. Non erat ab hoc loco alienum  
exponere, quæ prima iuuenta consilio &  
auctoritate egisset, nisi longum foret. V-  
num ex omnibus referam, quod si aliquan-  
do ipse rerum potiretur, quid præstaturus  
esset, indicio & argumento erat. Cùm e-  
nim in paucorum animis, aut dissidij, aut  
simultatis, aut suspicionis nescio quid inse-  
disse intelligeret, iussit omnes tam grauem  
& publicè pestilentem, sæpeq; exitiosum  
morbum deponere, & concordiam peper-  
tuò pertinaciq; studio colere eamq; disce-  
dens, vt monumentum voluntatis exi-  
miæq; industriæ relinquere visus fuit. Ex

B 3

aliquo

aliquo interuallo nouæ caussæ exstiterunt,  
quamobrem & duci & primi concilij sena-  
toribus omnino videretur consilium capi-  
endum de accurata omnium adolescentis  
academiæ partium inspectione, & cum de  
huius emolumentis, tum de quadam, vbi  
opus foret, emendatione. Cum visum fu-  
isset, id auctoritate & ducis & omnium or-  
dinum agere, vt minimum negligeretur,  
quamplurimum proficeretur, cumq; ne-  
gotia publica illo tempore cumularentur,  
non abiectum, sed reiectum in tempus  
commodum fuit hoc magnæ deliberatio-  
nis opus. Dux ipse morbo repente oppres-  
sus, patriæ & academiæ necessitati ineunte  
senectâ eripitur. Quod dixi, id fuisse futu-  
rum breui, mihi tum in ipsa funeris sole-  
mnitate amici narrabant, & in ipso luctu,  
gliscentibusq; denuo negotijs, quorum  
magnitudinem animo præuidere difficile  
erat, non dubitabant, filium principem  
HENRICVM IVLIVM, quæ pater  
voluisset, prima occasione facturum, quæ  
iubente monenteq; nemine faceret, au-  
dusip-



391810  
dus ipse veræ gloriæ, & virtutis regiæ omnis in meritis erga genus humanum positæ, incredibili studio inflammatus. Hic iterum obstitit aliud ex alio, dum princeps imperium adit, multasq; eius partes, partim ipse, partim per legatos, constituit: quod cogitare vitæ non imperitus apud animum facile potest, nec singula referre attinet. Nec tamen quicquid moræ fuit, aliquid attulisse iacturæ videtur: siquidem diligentia, consilio, seueritate, comitateq; nostra perfectum fuit, ne quid interea detrimenti caperet apud nos res litteraria: quin sumus in ea opinione nonnulli, aliquid remotum mali, nec minus vigere bonam disciplinam apud nos, quàm in alijs academijs, quod à me dictum absq; inuidia, sic etiam accipi velim. Sanè ab hac sententia fama quoq; stat: nec verò multum abesse potest, quin qui benè audiat, idem rectè faciat. Nec eò dico, quòd parum aut pauca desiderari censeam. Nec enim vlla priuata domus boni patrisfamilias ita constituta fuit, vt non emendari multa

multa possent: nec animus sapientis ita vnde-  
dequa; conformatus, vt in se non ipse  
multa reprehenderit. Hæc porrò dicta non  
aliter ita se habent, quàm temporis & simi-  
lium comparatione. Etenim si ad regu-  
lam recti respiciamus, longè equidem ab  
ea absumus: neq; tamen nihil est, eam o-  
culis contueri, nec prorsum ire in contra-  
rium, aut peruicaci studio ab eadem in al-  
terutram partem declinare. Qui hoc a-  
gant; medicinam omnem repudient, & in  
desperatis meritò censeantur. Huic autem  
academiæ nobisq; adeò omnibus, quod  
cogitatum, paratum, decretumq; erat bo-  
ni, & à nobis magno desiderio expectaba-  
tur, id aliud optimæq; spei aduersarium  
fatum omne pænè euerterat. Erasmus enim  
in maximum metum coniecti, cùm nucle-  
rus huius nauis in summo vitæ periculo  
esse, nec falsò, nunciaretur. Quo enim  
ab eius ætate repentinus ille morbus erat,  
vt ita loquar, remotior, quòd quidam pri-  
mæ ætatis, quidam mediæ, quidam sene-  
ctæ sunt quasi proprij, hoc credebatur &  
erat pe-

310

erat periculosior. Sic enim oraculis suis princeps medicorum docuerat. Itaque ad supplicationes, quæ in tempore per prouinciam fiebant, pro salute principis, & ad altum silentium, quod in aulis erat, accedebat lugubris fama, actum iam esse, nullo quidem certo auctore, sed vaga, sed constans, sed verisimilis. Itaque in luctu fuimus, in luctu erant, quotquot boni: eratque id tempus, quo & quanti hunc ducem faceremus, & quanti referre, eum esse superstitem, crederemus, ex dolore & sermone nostro appareret. Magnam sanè iacturam fecerat Germania paullo antè amissione duorum principum. Autumnus septemuirum Saxoniae CHRISTIANVM, iuuenem acrem & iustum abstulerat: superior Ianuarius IOANNEM CASIMIRVM, qui pro imperij septemuiro esset in Palatinatu, principem fortissimum. At quo tempore? patriæ periculoso, turbato Belgio, concussa armis Gallia. Qui enim amici malum aut incendium spectat in vicinia, ille sanæ mentis haud sit, si id longinquum & alienum esse arbitretur. Quin ipsi iam Belgici fluctus ex-

C unda-

undarant multis abhinc annis in Germaniam:  
qui tot sublatis præsijs facile oscitantes cæte-  
ros opprimant. Quantum in duce nostro  
præsidij sit, ipse ostendit, cùm, quod haud diu  
est, conspectu suo terreret incursiones popu-  
labundorum hostium. Emerfit autem ille  
fortè mense abhinc altero: ex morte verius,  
quàm ex morbo crediderim: nec gratias ser-  
uatori Deo agere negleximus. Itaque sic  
recreatus, quod antè constituerat, academi-  
am Iuliam, alumnam patronus, & filiam pa-  
ter recreat. Hoc custodis officium non mi-  
nus esse, quàm fundatoris beneficium agno-  
scimus. Sed libet, quoniam operæ precium  
esse iudico, antè quàm bona referam, quæ il-  
lustris legatio attulit, de consilio principis  
pauca præfari, quo in deligendis legatis vsus  
fuit. Non solum enim sapientiæ suæ specimen  
edidit, sed etiam exemplum dedit alijs, & ve-  
ram rationem ostendit emendandi academi-  
as, si ita vsus postulet, vt postulare videtur non  
vno loco; de quo non agam, ne curiosus vide-  
ar. Ab hac tamen ratione paucis antè annis  
nimium aberratum fuisse passim, in memoria  
habe-

habemus: atq; vtinam itidem hodiè in laudabili emendationis studio, non iterum aberretur. Grauis enim profectò hic error est, & omissione siue negligentia deterior. Nec verò iam de ipsa medicina, eiusq; ratione loquor: ante omnia videndum est, ne in medico erretur, cuius est medicinam habere in promptu, & eius adhibendæ rationem nosse: ne ægrotum autaniculæ, aut eremitæ, aut circumforaneo, aut medicaastro tradas, in quorum nemine aut, artem, aut vsum, aut fidem inuenias. Præfecit igitur dux noster huic negotio & arduo & publico, non vnum aliquem aut imperiosum, aut ambitiosum, aut auarum, aut curiosum vanumue, aut vitæ hominum bonæq; doctrinæ ignarum hominem: nec paucos inscitia tumentes, & instructos audacia, præiudicijsq; occupatos, quæ rarò vera sint, & vix vnquam saluti publicè. Nascuntur enim illa sæpe non solum in controuersijs ciuilibus, ad quas beneuolentiam, aut quem alium ex affectibus adferimus, sed etiam in quouis genere disciplinæ, si quis opinionem à puero imberit, & in certum auctorem potius, quàm in



veritatem respiciat: nec deniq; vnum aliquem  
de sapientibus, tùm quòd in vno alteroue er-  
ror facilis, tùm quòd de sententia omnium,  
vnus haud facile animaduertit, aut rectè ge-  
rit omnia: vnde & verbum vetus est, vnum  
ne quidem esse aliquem. Proinde regum ille  
princeps in exercitu Græco ad Troiam, non  
nitebatur vnus Nestoris consilio, senis citra  
controuersiam sapientissimi, & tribus iam sæ-  
culis versati in rebus, & supra omnes deniq;  
cōfirmati: sed eius similes sibi optabat decem,  
concilium scilicet sapientum, ac tum demum  
sperabat se vires hostium conuulsurum, & o-  
ptata potiturum victoria. Nec ille profectò  
sapiat, qui tantum onus soli sibi imponi patia-  
tur. Intelligit enim sapiens, id vnus hominis  
nequaquam esse, & omnem inuidiam solus in  
se deriuare nolit: nec qui ita sit ambitiosus, vt  
se omnia, cæteros præ se vix aliquid intellige-  
re, falsò putet, & solus gerere omnia velit, in  
sapientibus, nec à me, nec forte à quiquam  
numerabitur. Vidit igitur dux noster, quod  
ante eum pauci, aut quod eòdem ferè abit,  
visum intellectumq;, nostra tamen aetate  
vsurpa-

vsurpatum non fuit, nisi me fallit memoria.  
 Utinam deinceps frequentetur: quo ego con-  
 filio non solum præsentis reip., sed futuro  
 quoq; sæculo bene consultum censeam. Mi-  
 sit cum mandatis primos de suis senatoribus  
 omnium ordinum, quod ad vos, qui omnia  
 in memoria habetis, declarare non opus erat:  
 etsi dicere incommodum non videtur, si for-  
 tē hospes aliquis aduenerit, cui id audire iu-  
 cundum sit. Misit igitur de senatu suo, aulæ  
 præsidem & Cancellarium: proximos sacro-  
 rum antistites: alios equestri loco natos, viros  
 ad primè nobiles: theologos diuinarum re-  
 rum scientia & eloquentia & integritate vitæ  
 præstantes, delectos deniq; ex primis prouin-  
 ciæ oppidis: omnes spectatæ virtutis viros, bo-  
 nis litteris instructos, præclarè de patria meri-  
 tos, veroq; studio de ea ipsa bene merendi in-  
 flammatos: singulos ipse per ipsorum me-  
 umq; pudorem prædicare non debeo, nec vo-  
 lo, nec illi volunt: siquidem rectè agere ma-  
 lunt, quàm non nisi audire benè. Accipite  
 nunc potissima legationis capita: quorū quod  
 erat de docentium concordia, sanctissimum,

& ante omnia necessariam, primum locum obtinebat. Idem olim, vt supra diximus, ipse princeps, non minus suo erga academiam studio, quàm de voluntate patris, sedulò tractauerat, & cum comminatione sanxerat. Quod igitur tum fortè fuit prorsus necessarium, id neq; hodie videri debuit superuacaneum. Malorum enim fibræ non ita subito euelluntur, & semina in probis fæcundisq; agris sunt herbarum noxiarum: quæ si non possunt extirpari in vniuersis, tamen hoc laborandum est, quod perfici potest, ne dominantur aut omnem fundum occupent. Infirmæ sunt res humanæ, ac bonorum etiam animos leuiculis de causis scindi posse cum videret Plato, tres amicos diligenter monuit, & de coniunctionis animorum conseruatione, & si quid incideret, de reconciliatione. Nunc detestantur discordiam plæriq;, & in ore habent Græci poëtæ solemne votum: O COE TV EX HOMINVM ET DI VVM LIS TAETRA FACESSAT. At verò pauci hoc agunt, vt si quid causæ oriatur, eam ratione amoliantur: si quid offensum sit, vt  
aut ve-



aut veniam esse dandam, aut sibi petendam  
esse existiment. Multis studio contra est, vl-  
cisci se belluina ferocia, & non iam de hoste,  
sed de amico insolenter triumphum agere.  
Non dicam id, etsi verum est, hominem natu-  
ra amicum homini: nec incidere tempus de-  
bere, quo armis interfese aut animis sæuiant.  
Verùm siue malitia, siue quasi altera quædam  
natura mortalium, vim primæ naturæ intulit,  
nec animos hominum in vniuersum beneuo-  
lencia cui cuiusmodi illa sit, coire patitur. Dissi-  
dium alterum fuit & manifestum priscis illis  
sæculis, vt perpetuæ capitalesq; inimicitia es-  
sent inter Græcos & barbaros: nec tamen e-  
rat amicitia barbarorum inter se, quæ inter  
eos sanciri ob ipsam barbariem non poterat:  
nec eam Græci inter se tuebantur, quod sapi-  
entibus magno etiam dolori fuit, adeò desipe-  
re eos, qui se sapientiæ & humanitatis cultor-  
es profiterentur & perhiberi vellent, & ne  
id in dubium vocare videar, præ cæteris genti-  
bus etiam saperent. Fuit hoc turpissimum  
Græciæ; sed nobis turpius, qui à cæteris gen-  
tibus, sincero DEI cultu, vt quidem præ no-  
bis, feri-

bis ferimus, distincti, ei, quam prædico & desidero, coniunctioni, parum nimiumque; adeo parum studij impendimus: vnde crudeles barbarique; populi Christiano orbi conuitium faciunt, & ex nostris dissidijs nos adoriendi, viresque; nostras conuellendi occasionem capiunt: nec forte finem antè facient, quàm ad vnum omnes crudeliter sustulerint, aut sub graue seruitutis iugum miserint: quas calamitates à nobis omnibus, omnisque; nostræ posteritatis ceruicibus auertat diuina benignitas. Sed hic mihi quis, tot tantarumque; gentium, quamuis Christi cultum profitentium, concordiam tueri, quos & linguarum idiomata distinguunt, & variæ voluntates distrahunt, perdifficile esse dicat, nec futurum vlllo sæculo. At qui vnus imperij ciues sunt, non ita magno negotio amicitiam colerent, communemque; patriam, quasi unam domum, & aduersas ingruentes vndique; hostes tutam, & sibi inter se beatam, seruarent. Dico, id fore non difficillimum natura sua, si populorum vrbumque; moderatores & cultores sapientiæ, qui illorum vel consilia dirigere, vel ingenia expo-  
lire ex-

lire existimantur, hoc ipsum omni studio agant, & perpetuis exemplis demonstrent. Sed quod est oppidum eius boni siue salutis particeps? quis vicus? quæ domus? quis pænè dixerim, cuiusue animus? verùm singuli sibi tranquillitatem videant: cuius rei modum si vnusquilibet teneret, & vsurparet, tum proxima forent haud paullò facilia, ac deinde vicina proximis, atq; ita vltèrius, tandemq; de remotissimis id fieri posse crederetur, quod hodiè fieri non posse creditur: nec ego tamen fieri vllò tempore dixerim, quod nullo futurum esse, etsi non necessaria necessitate, & præsciam, & haud negem. Hoc igitur non flocci faciendum est, & explicandum suo loco, & agendum vnicuiq; nostrum omni animi contentione. Qua gratia quædam altius repetij, hoc erat, vt nobis dignum esse studium concordia ante omnes dicerem, vel, quia id nemo nescit, & omnes à principe ad infimum omnium hominum nobis exprobrant; dicerem alterum, hoc vnicuiq; nostrum, & adeo paucis, inter se esse facillimum: si quidem est in nobis & quilibet nostrum intelle-

D

ctus &amp;

Etus & studium humanitatis, virtutis, sapientia: esse autem debet, qui nihil aliud verbis profiteamur, auaritia, ambitioni, dominatui, voluptatibus & omnis generis cupiditatibus remisso nuncio. Quibus animis praediti esse debemus, & fidem hanc seruare fidelius, quam vel Gymnosophista, vel Brachmanes vel eremita, vel quicumque se votis certo vitae generi & certorum consuetudini sancte obstrinxerint. Ex ijs enim multi id non satis deliberato statuerint, à quo ipsis regredi integrum non sit, quamuis animi in diuersum abeant. Nobis nec velle aliud integrum est, nec si per mortales liceat, aliud velimus, siquidem ij sumus, quos esse nos profiteri, modo dictum fuit: à quo qui discedit; is discedit à se primum, & à natura, tum sua, tum communi mortalium. Nolo in nostrum ordinem acerbius aliquid dicere, aut quae ab alijs, in nos iactantur, (vtnam nullius merito) ex hoc loco oratione acuere, aut verbo attingere. De promam ex primo familiarium Socratis, quod cum voluptate audiamus, quibus excitari nos magis, quam reprehendi sentio. Grandis est autem  
Plato-

Platonis oratio, quamuis in epistola, qua consensum præstantium virorum in cælum poetæ verbis tollit. Neq; aurum, inquit, ita fulgurat, nec adamas, nec argenti massæ, nec fundorum iugera, vt bonorum concors consensus. Nec verò mihi quis hic non nisi decus aliquod esse concordia intelligat, nihil ipsa melius, nihil homini vtilius, nihil magis necessarium in societate mortalium. Nobis verò, & à nobis fructus ipsa fert vberimos: hoc minimum, quod cuiq; maximū est, vt eum vnusquisq; animi tranquillitate fruatur, tum suauiter inuicem viuentes officium sine interpellatione faciamus. Maius est, & longè lateq; patet altera vtilitas. Non enim tam de doctrina, quàm de exemplo nostro familiares & auditores nostri coniunctioni animorum siue concordia studebunt, eaq; comite & duce, quò se cunq; conferent, eius semina cum in priuata vita, tum in scholis, in ecclesia, in ciuitate iacent. Ex illimi enim fonte limpidus riuus profluet. Non potest namq; aliter fieri, quin vt academia sint, ita cœus hominum, quibus præfunt, quos ipsi exemplis præceptisq;

ceptisq; rectè erudierimus. Vltro concident,  
odia, similtates, rixæ, calumniæ, maledicen-  
tia, quibus, proh dolor, & animi & libri scri-  
bentium scatent. Contumeliæ autem ipsæ,  
quæ ex acerbitate animorum profluxerint,  
erumpunt in iniurias priuatas & calamitates  
publicas: meditantur sibi inter se & parant, vin-  
cula, exilia, mortes: vt animo morem gerant,  
velint misceri omnia, quodq; in ipsis est ole-  
um affundunt flammis sæuientibus. Aten v-  
nam inuenit poëta, plures Litas, idemq; il-  
lam vnicam his pluribus vix tandem placari  
negat: hodiè re ipsa pullulant Atæ plures, Li-  
tæ se in latebras abdunt, ac vix vna de omni-  
bus prospicere aufit, nec id sine periculo. At  
veritas prodenda non est? Non est indigna-  
tionis, nec odij, nec derisionis, nec verbosita-  
tis, nec contentionis, nec clamoris, nec contu-  
meliæ filia veritas: quin fieri placidius nihil po-  
test veritatis indagatoribus. Quis vero etiam  
hoc dubitat, licere in plærisq; diuersum opina-  
ri, idq; fieri posse & illæsa animorum coniu-  
ctione, & salua ciuili concordia. Qui vero ob  
leuiculam offensam immortales inimicitias a-  
nimis

316

mis concipiunt, aut graui etiam iniuria affe-  
cti; nec ratione, nec auctoritate se placari  
patiuntur, quid de ijs ego dicam? Qui sic sint,  
non attigisse mihi videantur litteras, nec e-  
iusmodi esse aliquis potest in sinceris cultori-  
bus sapientiæ. Fatendum est, & deploran-  
dum, in ijs, qui habentur eruditi, aut se doctos  
ipsi perhiberi volunt, exoriri opinionum iu-  
risue sui tenaciores, pro quibus ego causam  
non dixero. Plæriq; rationem secuti, hoc bo-  
num tuebimur: ad nostram verò curam & di-  
ligentiam accessit non sine causa principis  
auctoritas. Hac enim quasi diuina excitati,  
quod agimus, quodq; debemus, agemus ala-  
crius: si qui natura aut moribus minus confir-  
mati fuerint, nec turbidos animi fluctus seda-  
re valeant, tamen sibi à contumelijs tempe-  
rent, & acri vltionis studio. Proximum huic  
caput de disciplina fuit. Vt vero illud, de  
quo diximus, ad nos potissimum pertinet, ita  
alterum, de quo iam dicemus aliquid, ad iu-  
uentutem. Viros enim disciplina, ætas, ratio,  
vsus rerum, & cura multiplex plærosq; domu-  
it: iuuentus feruet, incommodorum vitæ

D 3

maxi-

maximam partem nescia, futuri parum sollicita, rationis iugi impatiens, perturbationibus animi obnoxia: ac proinde intra metas disciplinæ arte diligentiaq; continenda est. Et verò concordia & disciplina violatæ calamitatem haud leuem semper adferunt: nec non exitium, nisi & huic & illi maturè eatur obuiam. Exemplo sit imperatoria. Sic enim res erit euidentior. Vt enim orta inter duces graui controuersia, sic disciplina militari labefactata, etiam validissimi & ab omnibus rebus instructissimi exercitus nullus vsus futurus est. Disciplina autem siue ad priuatam familiam, siue ad quoduis genus vitæ, quamuis humile, respicias; bonum est ad prime necessarium. Nec enim vel tenuis paterfamilias domum suam tueri possit: vel quis absq; hac seruulos suos futuriam doceat? An igitur in nostro ordine diuersum fieri confidamus? Hoc profectò minus, quo excelsior est cæteris: quod fortasse vulgo non persuaserim, res tamen ipsa indicat. Ordo enim hic noster, quod pace regum dixerim, & omnium, in quibus maiestas est, quòd Dei vicem in his  
terris



317

terris gerunt: ponè hos ordo noster principem  
locum tenet, in cæteris. In hoc enim aut de-  
mum perfectos homines inuenias: aut homi-  
nes, quâ homines sunt, videlicet mente & a-  
nimo, intelligendo & consulendo & facien-  
do & dicendo perficiantur aut perfici non si-  
ne causa existimentur. Hoc enim etsi extre-  
mum minimumq; nostri tamen generis pro-  
prium est. Nec de perfectione loquor, quæ  
rebus ipsis respondeat, sed quæ cadit in homi-  
nem: quamuis à re ipsa per rei præstantiam &  
nostri generis imbecillitatem procul & nimi-  
um etiam longè absit. Vt autem beatos  
prædico, qui hic diuinitate ingenij & perpe-  
tua laboris patientia, quantum in quoq; sit,  
virtutis & sapientiæ spacium conficiunt: sic &  
alteros laudo, cum qui aliquousq; processerint,  
tum quibus id conari in mentem venerit,  
quòd homini nato potissimum conueniret.  
Et hoc verò dignitatem huius ordinis indicat:  
quod neminem cognouimus omnium, qui  
litteris non attigissent, nisi vel mente captum,  
vel natum educatumq; in extrema barbarie,  
quin tali iactura sæpè deplorata, quantum eo  
nomi-

nomine dolorem animo accepisset, aperte præ se tulerit, siue magnum negotium tractaret, siue quem ac suos potissimum ad meliorem vitæ rationem cohereretur. An vero maius argumentum sit, quàm quòd neq; opum amplitudinem, neq; generis antiquitatem, neq; imperij magnitudinem, quamuis ea maxima & omnium populorum iudicio prima bona existimentur, diminutum iri credat, factus aliquis nostri ordinis: quin ita sentiunt, nec id profectò somniant, se ornatiores ex hoc ipso abituros, vel in eo futuros semper ornatissimos. Qui enim hisce sacris vetè initiati sint, se dignum facturos non putabunt, si à litteris & studio sapientiæ in vita declinent, quòd sapientiæ sit perpetua vtilitas, & vera, nec vllò vnquam tempore poenitenda dignitas. Magnum igitur hoc argumentum est: sed longè maximum, quod quicunq; aliquid præclari in rep. cum priuatim tum publicè, cum domi tum militiæ gerunt, aut ipsi studia sapientiæ colunt, quod nostri ordinis proprium est, aut principes nostri ordinis in cōsiliū adhibent. Quod si igitur vitæ genus nec infimum-

318

mum, nec vllum de medijs absq; disciplina  
instituitur, an quod cum ratione primum &  
summum est temerè informetur? Hic &  
præcipuè & maxima disciplina opus esse asse-  
uerem, nisi idem vos videre & statuere intel-  
ligam. Hæc certa consuetudinis & morum  
ratio est, instituto vitæ generi accommodata.  
Exemplo mihi sint fullo & aurifex: in quo-  
rum illius disciplina potissimum est, ne res  
sordidas contrectet, nec cohabitent carbona-  
rio, vt est apud AEsopum: aurifici verò obfit  
quotidiana fabri ferrarij consuetudo, nec  
quidquid est grauium laborum, conueniat.  
Igitur & vos vitabitis, & à principio & dein-  
ceps, cum eos homines, tum eos mores, qui  
nostro instituto aduersabuntur: quod quibus  
curæ erit vltro, eos disciplinæ scholasticæ siue  
academicæ satis obseruantes, & de se omnia  
singularia polliceri iudicabimus. Nec est  
obscurum, & qui & quæ vitanda sint iuuen-  
tuti litteratæ. Est videlicet probis pestilens  
consuetudo improborum, otiosorum, ventri-  
gulæq; deditorum, petulantium, contume-  
liosorum, scientiam & veritatem aspernan-  
tium.

E

tium.

tium. Abducunt enim hi ipsi & talium studia ab  
ijs, quæ nobis præposita sunt, à modestia, à sci-  
entia, à veritate, à virtute, ab humanitate. Quæ  
bona si absint ab academia, nihil præter eius  
inane nomen relinquitur, vt si exanimus  
corpus hominem dicas. Ne quis enim exi-  
stimet, esse fanum licentiæ, aut officinam o-  
pinionum, aut tabernam petulantia, aut lu-  
dum aleatorum, aut hortos voluptatum, aut  
lustra immanium barbarorum. Hæc omnia  
sunt (esse profectò debent) his contraria: est,  
vt vno verbo dicam, virtutis & veritatis tem-  
plum: quod verbum copiosè possim & ma-  
gnificè explicare, ni sit ad alia quoq; properan-  
dum. At iugum disciplina primæ ætati gra-  
ue est: & putant adolescentuli sibi liberius  
esse debere viuendi apud nos potestatem. Il-  
lud vitio & errore fit: hoc etiam facilè largie-  
mur. Seruitus enim non est, facere quod  
quemq; deceat: quin eorum maior & vera  
libertas est, qui vltro officium faciunt, non  
imperio legum aut metu pœnæ: etsi nemo  
eos seruire pronunciauit, qui quocunq; modo  
aut animo legibus paruissent. Fateor arctio-  
ribus

319

ribus vinculis alicubi constringi nostrum ordinem: ac fortè in alios seueriore disciplina opus sit: certè ijs ita videatur, qui minuta omnia animaduertunt, etiam de pileo, de pallio, etiam de crepidis solliciti: quorum ego opinionem feram, si seriò simul vrgeant, quæ ad elegantiam morum, ad vitæ honestatem, aut acrem virtutis, nec huius simulatæ, cultum, ad amorem scientiæ & perpetuam diligentiam in studio sapientiæ spectant & faciunt. Ipse equidem Micioni comico non assentior in omnibus, etsi sentire videtur, quàm loqui commodius: ad eius tamen, quàm ad fratris asperitatem, non sine ratione semper inclinaui, ipse quoq; iudicans rectius esse, liberalitate & pudore educari liberos, quàm metu, qui ad fingendum animum nihil faciat, aut violentia, qua quis facit quidem quod cogitur, sed vbi cælatum iri credit, pro libidine vitam instituit. Siue igitur hoc verum est, quod existimo, siue mitius meum ingenium est, quod fateor, tali ratione apud indolem liberalem ab initio semperq; profeci plurimum, comitate videlicet & indulgentia ali-

E 2

qua: &

qua: & tempore, & vno verbo moniti vel reprehensi audiunt. Qui diuerso ingenio essent, & minus tractabili, missos facio, & asperis magistris relinquo: sæpè quoq; cogito, aut militia, aut opificijs, aut mercaturæ, aut operis seruilibus natos, naturæq; suæ concedendos. Existimo de doctis plærosq; ferè idem sentire: quantumq; mihi coniecturam facere licet ex ipso negotio, non secus iudicauit sapiens idemq; benignus academiæ fundator, dux IVLIVS. Cum enim seuerus in omni vita fuerit; non facilitate, sed iudicio iuuentuti nostræ multa largitus fuisse iudicari debet. De habitu non putauit disputandum, nisi barbarus esset, aut vestes prorsus dissimiles vestibus cultarum gentium: vt si pace quis abiecta toga sagum sumat, aut pro vsitatis & commodis ferratas soleas gestet, aut inuolucrum Turcicum pro quouis tegumento imponat capiti. Qui in hunc modum personatus inambulet, id impunè haud tulerit, etiamsi non animaduertat magistratus. Etenim ad tam insolens spectaculum, accurrent de vicis vjsq; omnibus, ludibrio habituri stultitiam. Nec facile reper-

repertum iri adeò malitiosè ineptum suspicor.  
 Quòd si quis verò censuram ita agere institu-  
 at, vt habitum non probet, nisi quem ipse gef-  
 ferit, aut viderit, eum prorsus imperitum, &  
 vix porta vrbs egressum, aut nimis delicati  
 iudicij in re minuta, nec fortunas Græciæ  
 cernente, vt fuit in prouerbio, esse oportet.  
 Concessit verò dux & gladios non vt pro libi-  
 dine dimicaretis, sed quia ex gente supra plæ-  
 rasq; bellicosa nati sumus, & iure quasi here-  
 ditario arma nobis vindicamus. Quis autem  
 vestrum vim huius priuilegij non intelligit?  
 Licet gestare arma, quibus conueniunt: con-  
 ueniunt equestri loco natis, fortè & alijs for-  
 tunatorum hominum filijs, quorum alij olim  
 vltro militatum abituri sint, alij si opus sit, pro  
 patria arma sumpturi. Namq; eum animum  
 ad remp. adferre oportet omnes, qui eius ali-  
 quam partem olim gerere cogitent. Hæc  
 quoq; vna causa est & prima adeò, vt qui litte-  
 ras etiam serio colant, non minus se in armis  
 exercent: quæ res tamen & ad iustum robur,  
 & ad habitudinem corporis confert. Non  
 conueniunt autem ipsa alijs, nec ea affectant.

E 3

impu-

impuberes, nec qui nullis lacertis, & natura  
imbelles sunt, nec qui se in perpetuum litteris,  
præsertim sacris, consecrarint. Ita enim pro-  
fectò sapere vos oportet, atq; ita hæcenus sa-  
pitis, quantum video. Itaq; quos vltimo loco  
appellavi, tenuiores præsertim splendori lau-  
tiorum non inuidetis, neq; eos in ijs, quæ ad  
cultum, æmulandos putatis, tum quòd vos a-  
liud decet, tum quòd non est ex re vestra.  
Sint igitur illi æquales vestri in habitu elegan-  
tiores: vt cæteris missis, de vno dicam, ferant  
in pileis torulos aureos, aut circulos sigilla-  
tos, aut preciosas pinnulas. Hoc enim loco  
nemo vetat. Nec erit hicce sacer Musarum  
chorus iccirco Nasonum similis, quorum et-  
iam vulgus pinnatum fuisse legimus, nec mi-  
nus honestus etiam si adolescentes nobiles &  
honesti, elegantia, & ætati suæ & moribus  
harum gentium consentaneæ, non nihil tri-  
buant. Non nego, quibus hæc non distinctè  
satis alibi exposita fuerint, iuuentutem nostrã  
castrensem vitam viuere, facile suspicatu-  
ros. Hoc verò ita se non habet: at alterum profe-  
ctò verum, vbi eiusmodi aliqua interdican-  
tur se-



324

tur seuerius, affectantur magis: vbi talibus vti licet, negligi videas. Haud hic plures armatos pinnatosue ferè videas, vbi nihil obstat, quàm ubi vetitum sit ferri. De alijs item quæ huius generis sunt, fortè non sit supra modum laborandum, vel ea potius oculis æquis aspicienda, vt patres benigni faciunt. Ferunt enim ludos filiorum & equitationes in arundine. Etiam ad alia, quæ minimè probemus, nec probare viro bono liceat, conuiuendum aliquando sapientes monent: dummodo id rarò fiat, aut necessaria, aut admodum probabili de causa, ne in exemplum trahatur ea lenitas, aut indulgentia ad disciplinæ labefactionem abeat. Non neglecta fuit in cæteros seuera animaduersio. Primum enim semper actum fuit, vt in viam redirent ab erroribus. Qui disciplinæ iugo excusso, præceptis rectè monentium spretis, vitam pro libidine agerent, nec à petulantia pedem referrent, quoniam ipsi litteris nuncium remitterent, è castris Musarum, quouis potius gentium abire iussimus, & iubemus. Sic enim nec dignitatem academix minuent, nec deformabunt ordi-

ordinem, nec vt morbosæ pecudes, inficient  
alios contagio. Nec metuimus, ne iccirco  
minus frequentetur schola Iulia, satius esse rati  
paucos benè tutoq; reipublicæ educari, quàm  
si solo iuventutis confluxu hic locus passim  
prædicaretur: quæ tamen laus, & perexigua  
est, nec nisi in vulgus valet. Quin contrà eue-  
nire intelligimus, vt viri prudentes filios & a-  
lios suæ fidei creditos ad nos studiosè mittant:  
vt modesti item adolescentes & vtrò & cupi-  
dè huc accurrant. Non potest igitur nos ac-  
curatæ animaduersionis pœnitere: atq; vt ni-  
hil de benevolentia erga iuventutem, sic neq;  
de seueritate in conseruanda disciplina, ac  
potissimum eius veris necessarijsq; partibus  
remittere debemus: neq; id nobis licet, non  
solum nos collaudante siue confirmante duce.  
HENRICO IVLIO, sed etiam iubente  
eum imperio. Fortè enim ad eius aures perue-  
nerat, lenius in aliquibus actum, quàm bonis  
rationibus probari posse videretur: etsi inter-  
dum adolescentiæ durius agere visi fuerimus.  
Haftenus igitur de disciplina, à qua porro  
itum fuit ad ea, quorum gratia & nos hic cons-  
stituti

322

stituti sumus, & vos huc contulistis, & hanc  
disciplinam, de qua, vt tempus tulit, pauxil-  
lum diximus, obseruamus, religioseq; seruan-  
dum esse statuimus. Nec enim vel vestrum  
aliquis, in quo pudor sit, aliter sentiat. Ad alia  
itum fuit, nisi omne studium nostrum in hac  
disciplina positum quis contendat, vt erat per-  
petuum illud disciplinae studium nobilitatis  
Perficæ, vt memoriae prodidit Xenophon Erat  
autē illis disciplina, numquā omittendus cum  
aliarum virtutum, tum cæterarum reginæ, iu-  
stitiæ cultus: nobis esse debet virtutis itidem  
& sapientiæ studium, & incorruptæ in D E-  
V M pietatis. In his enim hominis perfectio  
vertitur, cui nos incumbere, antè quoq; mo-  
nuimus. Aut igitur huc disciplina respicit, aut  
ipsa disciplina est, si latius hoc nomen accipi-  
as. Nos tamen paullò angustius disciplinae  
nomine vtemur, eamq; à studijs doctrinæ se-  
parabimus: nec incommodè, vt arbitror.  
Absq; ea enim disciplina virtuti & doctrinæ  
studere nemo poterit: eam tamen disciplinam  
colere, qui officium simul colat, doctrinæ ta-  
men minus studeat. Nostrum est doctrinam  
colere

colere non sine virtute, & illam ipsam pro-  
pter hanc, vt verè intellectam consequamur,  
& rationibus seu consilio ad eam nos instrua-  
mus. Non me fugit autem aliqua hîc esse ple-  
nius explicanda, nec fortè solum disertio-  
rem, sed etiam vberio-rem orationem desiderari:  
quod cum hic locus non ferat, vnum non  
præteribo, etsi plarisq; vestrum non incogni-  
tum, quoniam ad rem pertinet. Cum de per-  
fectione mentis cura nobis, vel potissima sus-  
cipienda sit, quanto nobilior est omnibus a-  
nimi nostri partibus, scientiæ nobis cogno-  
scendæ erunt, quibus illa expolitur, siue iustam  
suam consequitur dignitatem. Animus au-  
tem siue voluntas informatur non solum af-  
suefactione, sed certo etiã genere, sed diuerso  
doctrinarum, respectum suum ad deliberan-  
dum, dicendum & agendum deniq; habenti-  
um. Sunt & aliæ artes effectrices dictæ, suntq;  
operum, & quædam earum satis liberales,  
quod sine ingenio & ratione exquisita nihil  
admirabile & laude dignum fabricentur. De  
harum paucis ex illis omnibus erudiri nobi-  
lem & ingeniosam iuventutem, rectè & fide-  
liter in

liter in scholis hisce primarijs, necessarium est: nec scientiarum artiumq; ingenuarum vllam partem intactam & inexplicatam relinqui oportet. Agnoscamus hic, non nouum quidem illud, sed renouatum beneficium, idemq; cumulatius, ornatius, & aliquot partibus emendatius, siue vniusmodi plura, quæ simul vno loco considerata sunt. Munus docendi diuus ducis nostri pater, moderatis, doctis, disertis, & sedulis viris demandarat ab initio: nec sumptui pepercerat, alijs aliunde accersitis: id non minus curæ statim fuit duci nostro. Docentium enim auxit munus, simulq; vidit, vt quod cuiq; demandaret, id munus cum laude & fructu discipulorum & dignitate academiae gereret: mercedes honestas decernens singulis, neq; nullis insuper præmia, vt querelæ locus sit nostrum, opinor, nemini, ac si quis fortè quid desideret, non semper desideraturus esse videatur. Varijs enim litteris, nec vulgariter eruditus princeps, Musas, regiae suæ indolis sedulas formatrices & felices magistras, egere non patitur. Idem vero rei, quam præclare intelligit, certam rationem

modumq; præscribit. Cum enim de more  
passim sint etiam, qui extra ordinem doceant,  
declament, disputent, minores in declaman-  
do, disputando exercent, ipsi ingenio præ-  
stantes, & bonæ elegantisq; doctrinæ copia  
instructi iuuenes; mirificè cum feruorem iu-  
uentutis ipse probat: sed quodq; horum fieri  
iubet ordine, & cum vtilitate vera discuntium,  
non quam alij polliceantur cum arrogantia,  
alij sibi se adepturos somniant, persuasi per im-  
peritiam & imbecillitatem iudicij. Passim e-  
nim in sacrum gregem Musarum irrepserunt,  
vt olim, ita & nostra ætate, qui ingenio, impu-  
dentia, & linguæ volubilitate freti, in disci-  
plinas veterum, id est, in veritatem, indefesso  
labore, è profundis tenebris editam, & ratio-  
nibus veris illustratam, & in aperta luce collo-  
catam, petulanter inueherentur, & opinio-  
nes falsas perplexè deblaterando pro oraculis  
venditarent. Se solos sapere profitentur, cum  
nos cæteri interea cum nostris ducibus, illis  
obsoletis, & maximè cum inscientissimo o-  
mnium rerum, Stagiris oriundo, oppido  
ignobili, qui ipsos annos viginti Platonicui-  
dam,

dam, obstetriculæ filio, curioso seni, operam dedisset, volitemus, vt simulacra defunctorum, & verius adeò, vt vmbrae apud inferos, quas fabulantur poëtæ. Hi tales noui sapientes alijs omnis sapientiæ penetralia recludent, & omne genus disciplinis etiam pueros nullo negotio imbuunt, & quemq; ante annos, dictum factum, vniuersæ sapientiæ facile competentem fieri, & in sermone priuato & scriptis editis, asseuerare non erubescunt. Quod vt imperitis persuadeant, ostendunt nouā regulam, nec eam, qualis fuit Lesbia, quamquā & ipsa singularis, vt quæ lapidi accommodaretur, non ad quam saxum fingeretur, sed sua pte sponte curuam & plærisq; partibus falsam. Quid igitur inde speret amator aliquis veritatis? Nonne quemadmodum

in fabrica, si praua est regula prima  
 Norma; si fallax rectis rationibus exit,  
 Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum,  
 Omnia mendosè fieri atq; obstipa necessum est,  
 Praua, cubantia, prona, supina atq; absona tecta,  
 Iam ruere vt quædam videantur velle, ruantq;,  
 Proditæ iudicijs fallacibus omnia primis?  
 vt est apud Lucretium: nonne quascunq; disciplinas ad canonem adeò absurdum quis

E 3

direxe-

direxerit, eas ineptis atq; absurdis opinionibus scaterere necesse est? At videas ea familia nihil disertius, nihil ad altercandum promptius. Haud mirum videri debet, penuria rerum laborare, cui copia verborum futilium supeditet. Nec qui contentiosè & acriter disputat; eò veritatis & scientiæ plus aut habet aut inuenit. Ne igitur, qui eiusmodi farinæ sint, studiosæ iuuentuti imponant, non licebit cuiquam scholam priuatim aperire, nisi qui publicè aliquod eruditionis suæ & probam specimen ediderit, & potestatem docendi à præfide suæ disciplinæ acceperit, & rationem consentaneam rationi publicæ sequatur, seq; ab ea non deflexurum recipiat. Sapienter id decretū est, ne quod aut publicè ædificamus, alius priuatim diruat, aut quis priuatim extruat, quod publicè demoliri oporteat. Quod si quis existimabit, asperam esse hanc orationem & edictum ducis nostri graue; is & inuictæ veritati & legitimæ potentiæ frustra aduersabitur. Sciat idem, nos quoq; grauius monitos de officio: nec cuiq; nostrum molestum est, id præcipi: etsi & ipsi intelligimus, & facimus, quod



quod in nobis est. Tubemur enim non solum diligenter docere & assidue, sed etiam recte: quod verbum in se multa complectitur: quorum aliqua singulatim simul indicata sunt. Vnum est, ne quorumq; libros interpretemur: vt qui bonas litteras, artes dicendi, mathemata, aut quamcumq; philosophiæ partem explicandam susceperint, quisq; ex veterum monumentis deprompta disertè & luculentè declaret: abducamus autem auditores à lacunis putidis, & è manibus excutiamus iuuentuti ieiuna quædam, & plerumq; à parum doctis temerè conflata compendia, quæ tot annos academijs Germaniæ magnum attulere dispendium, & quod fateri subturpe est, passim adhuc adferunt: quod si quæ ferri possint, ea à doctissimis monstrari oportet. Item ne decantemus, quæ in ludis litterarijs pueros præcepisse conueniat: ne grandes & inanes & absq; ratione, vel ab alijs congestos, vel à nobis hinc inde nullo ordine præterq; artem comportatos commentarios dicemus auditoribus, quæ vt plurimum sunt plaustra magnæ inscitæ. Sic porro: dicam enim verbo, quod

quod vt accipi oporteat, suo loco accuratius  
est explicandum & plenius: sic igitur, vt Hip-  
pocratem medici, antistites legum ipsum ius  
imperij, theologi prophetas & apostolos in  
manibus habeant: nec quisquā omnium aufit  
ab illis discrepantia tradere, nedum in dubi-  
um vocare, aut rationibus certis demonstra-  
tam, aut cœlo patefactam veritatem. Nec præ-  
teritum fuit de dicendi nobili exercitatione,  
nec de vtili modo disputandi: in quibus nimi-  
rum ita nos geremus, ne pro fanis oratoribus  
nascantur importuni rabulæ & seditiosi tribu-  
ni, pro indagatoribus veritatis contentiosi so-  
phistæ. Illud autem fieri necesse est, si quis, cui  
lingua nō cognita, solida præcepta nō perce-  
pta, boni scriptores nec lecti antè, nec confi-  
derati fuerint, ad dicendum prodeat: hoc ve-  
rò, si cuius doctrinæ quis nec potissima capita  
acceperit, ac fortè ne prima quidem principia  
degustarit, de ea verba faciat, nec nisi verbis  
& impudentia armatus differat. Dux autem  
noster, qui hæc corrigat, corrigiq; iubeat, &  
omne genus diuinarum humanarumq; disci-  
plinarum doceri & propagatis nonne sit in  
mani-

manibus nobis gestandus? nonne cumulan-  
 dus, vt veris, ita exquisitis laudibus? Nec vero  
 tamen hunc finem facit suæ huius generis be-  
 neficentiæ. Insistens enim vestigijs paternis,  
 quò tenues etiam tantis commodis, quæ dixi,  
 fruuntur, conseruat phiditia regio sumptu à  
 patre fundata: qua in re heroës nostri & pater  
 & filius exempla regum secuti, ni fallor, ali-  
 quo interuallo superant. Non dicam de spe,  
 quæ plurimum mensarum affulget: animo iam-  
 pridem eo fuisse principem, ipsius vocem in-  
 ditio fuisse intelligo, antè quàm moneretur.  
 Hoc principis, hoc patris est: tam principis  
 autem quàm patris, in hoc conditorem vni-  
 uersitatis imitantium, suis anticipata cura  
 prouidere, quibus egeant, & his amplius. Ha-  
 ber dux noster inter beneficij illius participes,  
 suos & proprios alumnos, non tam precario,  
 quàm delectu adscitos: quibus cum alimenta  
 liberaliter, tum educationem liberalem præ-  
 stat. Hoc bonum quod in eos confert, suum  
 quodammodo & alij possunt facere: si ani-  
 maduertant, quo modo ipsos educet. Facit e-  
 nim ipse hoc, quod per alios fieri curat: iubet

non

G

eos

cospietatem & modestiam ante omnia cole-  
re, & in litteris non suo quemq; libitu, sed de  
magistri consilio, bono ordine progredi: ne  
cum periculo in altum repente subuolent,  
sed quasi de gradu in gradum, atq; ita tutò ad-  
scendant altius, ad quem aspirant dignitatis  
locum, quo non minus ciuibus & patriæ,  
quàm sibi & suis seruiant. Eius rei omnem  
explicationem alij item loco reseruabimus:  
rem ipsam moneo, vt vos ab vsitato more pri-  
ma despiciendi deterream, sine quibus supe-  
riora nemo feliciter extruxit. Hæc igitur hac-  
tenus, in quorum explicatione deprehendi,  
vt facile sit, quod ipse non pugnarem, mul-  
tum verborum facere, esse tamen difficile, et-  
iam quæ te accurata cogitatione affecutum  
putes, mediocri orationis genere exponere,  
vt & auditor rerum magnitudinem animo  
percipiat. Aut igitur id per se arduum nego-  
tium est, aut mihi ita vitium fuit, & accidit:  
cūq; me huic rei non prorsus satisfacisse non  
infiter, æquiores mihi vos in existimando fu-  
tuos confido: neq; de vobis dubito, qui vi-  
res vestras in simili re periclitati fueritis. Ta-  
men

men, quantum in me fuit diligentia, adhibui,  
 tum vt, si qui forte hæc quoq; legerent, nos &  
 esse & haberi velle gratos viderent, qui & be-  
 neficiorum præstantiam intelligeremus, &  
 agnosceremus & prædicaremus, tum vt lon-  
 ginquæ gentes Saxoniam principum, & nostri  
 cum primis sapientissimi & benignissimi du-  
 cis virtutes illustres, vereq; regias cognosce-  
 rent, nec fidem haberent scurris, qui primas  
 etiam per Velusianos suos annales, quod in  
 ipsis est, atterunt. Est enim quoddam genus  
 hominum, quorum quidam mirificentius,  
 quam quæ de Hippocentauris & Scyllis poë-  
 tæ fabulantur, ex melle videlicet & felle con-  
 flatos animos dixit. Quid enim dulcius est  
 adulate? quid amarius est sycophanta? Si  
 ita, vt poëtis, licitum sit vocabula fingere, sy-  
 cophantocolax dicetur, qui ad blanditur he-  
 ro, vt Melitæus catulus, & vt magis placeat  
 innocentes acerbè adoritur. Quæ monstra-  
 tum non tam atrociora, quam fœdiora sunt,  
 cum sese conuertunt in reges & dynastas. Hi  
 verò magno animo facilè contemnunt Ther-  
 sitarum conuicia, vt musculi arrosionem leo:

ebasi

G 2

inter-

interdum tamen curiositas & petulantia plus  
quàm graues pœnas dant, si fortè bilem po-  
tentia mouerint. Non ita multis abhinc an-  
nis impotenter inuectus fuit Sarmata quidam  
in focerum nostri ducis, regem Dania: sed &  
nomen conuitiatoris & conuuium euanuit,  
regis beneficentiam & reliquam virtutem  
non patietur emori veritas. Hæ autem ducis  
nostri laudes, non quòd mea oratione expli-  
cantur, sed quòd veræ profectò sunt, & ijs de-  
cantandis mecum alij certant, à quibus malo  
vinci, quàm virtutem oblitterari, celebra-  
buntur, non hac solum ætate, sed & quamdiu  
& quousq; virtus & litteræ viuent. Sunt hæ  
immortalium laudum caussa, quas dixi, nem-  
pe tot tantaq; beneficia huius certi generis in  
nos, in patriam, in posteritatem: sunt alia de  
quibus hoc loco dicere propositum non est:  
nec per angustiam temporis fieri potest. De  
vno tamen beneficio, quod huc quoq; refe-  
rendum erat, nondum dixi: quod etsi in lu-  
cem nondum prodijt: silentio tamen præteri-  
re non debeo, quoniam futurum est, & futu-  
rum breui, quòd ille princeps dicit, quæ præ-  
standa

standa apud animum decreuerit: qui non minus quàm Thetidis filius, sic odit mendaces, & quotquot aliud præ se ferunt, quàm loquuntur, vt fores Plutonas, vt poëtæ verbis vtar. Diuus I V L I V S pater, cum consilium cœpisset, spemq; diulgasset condendæ academiæ, antè, quàm eam fundaret, domos construxit academicas plures necessarias: de sumptu, quem fecit, non dicam. Quis enim nescit quantum vel villula postulet? nec de splendore, quòd in oculis est: vnam ea amplitudine, qua videtis, non capacem tamen huius iuuentutis, quæ hisce annis ad nos sese contulit. Quod cum futurum speraret & præuideret, de amplo & magnifico palatio cogitauit ipse, nec solum id delineauit, sed & quantos aceruos saxorum cernitis, aduehendos curauit, eaq; iam fabri tractare cœperant. Hoc & id genus alia dum deliberat & agit, è media rerum humanarum procuratione accitur in semipiternam quietem, face imperij tradita in manus filio. Chorum igitur etiam hic ducit musicum, & quod est munus archichoragi, & stat promissis paternis & suis,

G 3

nec il

nec ille curam, nec sumptum vllum fugiens.  
Videbimus igitur breui & ampliore & ma-  
gnificentiore Mineruæ, siue potius sapien-  
tiæ ædem surgere, auditorijs distinctam, & in-  
structam bibliotheca, in qua præter diuina  
veterū monumenta videre erit, & omnis ge-  
neris instrumenta mathematica, & globos cū  
cœlestium orbium terræq; partium accurata  
descriptione, & eodem spectantes tabulas.  
Hospes procul adueniens fabricam omnem  
spectabit & admirabitur, vt Telemachus ille  
Menelai regiam, quæ solis instar aut lunæ ni-  
tebat. Quem splendorem supra modum et-  
iam prædicat, non satis ad rectam vitam  
institutus adolescens. Pater enim annos vi-  
ginti abfuerat, mater in squalore domi iace-  
bat, aulam tenebant proci luxu perditī. Itaq;  
Pisistratum iubet contemplari regiam reso-  
nantem, & æris, auri, electri, argenti & ebo-  
ris nitorem, illamq; cum aula Iouis compa-  
rat, asseuerans, ibi esse bona permulta, quæ  
cum admiratione veneretur. Non intelli-  
gebat Vlyssis filius, aulæ veriora esse orna-  
menta, pudicitiam, temperantiam, modesti-  
am,



am, veritatem, iustitiam, humanitatem, clementiam, beneficentiam, & huius generis cætera, facilia enumeratu, inuentu perrara. Olim igitur, qui non nisi oculis vident, ædificij magnificentiam spectabunt, & suas architecto, suas principi laudes tribuent. Nobis curæ erit, vt ipsa domus & sacrosancta sit, & celebratione non inferior academia (hæc ea est, à qua cæteras hodiè nominamus, ab Hecademo Musis dedicata) aut Pœcila, quam differendo & vitæ integritate magis etiam ornabant Zenonis familiares, quàm pictores prælijs terrestribus & naumachijs ornauerant, aut Lyceo, quod supra omnes ad annos duodecim illustrasse legitur Aristoteles. Sed de hoc beneficio siue magnificentia dicet aliquando splendide, cui illæ partes datæ fuerint, in ipsius ædis inauguratione. Alterum superest, quod etsi multarum quoq; partium est, mihi erit simplex. Nihil namq; attinere arbitror, vt quæ in diplomate allato & promulgato, priuilegia comprehensa sint, ordine recenseam: hoc affirmare sufficit, esse eiusmodi, quibus & doctores gaudeamus, nec inuideant

deant ciues huius oppidi. Paterna beneficentia vsus fuit erga Helmæstadienses dux IULIUS, qui hunc locum academiæ delegerit: nec quidquam tum temporis fuit his hominibus gratius. Sperabant enim ex ea re, nec id absq; vera causa, & dignitatis plurimum & utilitatis non parum. Nam quod ad illam attinet, sexcentis annis etiam vicina emporia adeò non fuerunt nobilitata, vt academia Iulia & ex hac vrbs Helmæstadium annis hisce non plus quàm septendecim, & quanquam illæ vrbes locupletatæ, aliæ maturius fuerunt, aliæ ferius, neq; hæc spem habet tantæ opum amplitudinis, minimè tamen frequentatæ, nec fortè frequentabuntur hoc statu suo tot tantorumq; hospitem præsentia. Atq; hi longinqui apud nos sunt, multi fateor humiles, si humilis censendus est, qui se virtute & litteris ex imo loco tollit, aut tenues, nec pauciores bonæ conditionis, nec pauci nobili loconati, Barones, Comites, ducum regumque filij. Si cum visit princeps aliquis vicum aut oppidum, honor creditur: honori non sit, multos hic habitare, & alijs emigrantibus,  
succe-

succedere aut certè, nec falsò, expectari huius  
 generis novos hospites? Nec queri possunt,  
 nos sibi oneri esse, nisi graue dicas, ex opulētis  
 & magnificis rem familiarem augere, cū eam  
 tantum sustinere, optabile sit & iucundum.  
 Docti porrò homines, vt esse cuperent hoc  
 loco, & libenter hic domicilia fortunarum  
 suarum figerent, ineunda fuit ratio commo-  
 dorum, quibus & ipsi & ipsorum liberi frue-  
 rentur. Quis namq; ibi pedem emat, aut æ-  
 dificet, aut paratam domum sumptu suo or-  
 net, vbi & ipse grauia simul onera subeat, &  
 transmittat ad liberos? Nemo est enim etiam  
 in vulgo tam inhumanus, & amens, vt cum  
 cogitet fieri posse, vt viduam relinquat & pu-  
 pillos, eos egere velit, aut si id metuat, non in-  
 gentem animo dolorem concipiat. Vt igitur  
 tantæ calamitatis metus minueretur, vel poti-  
 us tolleretur, ratio modusq; priuilegiorum in-  
 uentus est, & eæ nobis immunitates concessæ,  
 quibus non inferiores simus doctis viris, in  
 quibusq; alijs Germaniæ academijs: quod non  
 nihil quoq; ad incrementum scholæ Iuliæ fa-  
 cere existimem. Non enim expedit iuuentuti,  
 anuq;

H

docto-

doctores subinde mutari: id quod fieret, nisi  
hic nobis nostrisque commodè essemus. Namque,  
vt qui in academijs docent, omnibus rebus  
affluant, id neque in more vsquam positum est,  
nec res adeò secundas sperabimus. Quod ta-  
men ita accipi nolim, quasi querendi causam  
ipse habeam: quin si ea esset, id vlcus ego non  
tangerem, ne cui in auaritiæ suspicionem ve-  
nirem: sed cum sim mea sorte contentus, cur  
nolim & alijs benè esse, aut non doleam ali-  
quos passim negligi, qui publicè benè mere-  
antur? Omnium autem rationem haberi,  
etiam qui infimo, si quod in bonis litteris infi-  
mum haberi potest, etiam docendi munere  
funguntur, publicè interest. Sic enim & ala-  
crius officium facient, & melius. Melius enim,  
quòd præstantiores docebunt: & hoc præstan-  
tiores, quòd exercitatiores. Facile enim intel-  
ligitur, in ijs artibus, quæ propter rariorem in  
vulgus vsum, steriles sunt, nec fructum, vt ex-  
pressius loquar, ad victum ferunt, non diu  
moraturum esse hominem tenuem, qui aliam  
vitæ rationem videat, quarum rationum mul-  
tæ rationis luce non nihil illustratis, in prom-  
ptu sunt.

ptu sunt. Sed excurriffe videtur oratio, quò minus debuit, nec debet ipsa tamen, nec potest offendere veritate bonos. Ad immunitates academicorum redeo, quas immunes quoq; esse ab inuidia oportebat. Sed ferè vbiq; sunt academiæ, populus nostro ordini est infensor: quod nec mirum, & imperitis ignoscendum. Nam si sapiant, gratulentur sibi suæq; ciuitati, & nostra commoda sua putent, vel ex nostris commodis sua suorumq; commoda comparent. Partim etiam hoc faciunt, & agnoscunt pauci. Cum enim nullus, opinor, dies prætereat, quin huc è longinquis etiam terris multum auri argentiq; inferatur, qua fronte negabunt artifices, mercatores, hospites, res suas meliores fieri, aut facilius sustineri? Ipse hominum quotidianus victus id testatur, itemq; vestitus, domus videntur loqui, prædicabuntq; tempore clarius, non minus, quàm alibi factum fuisse meminimus. Alterum maius est, quod non æquè intelligitur, & magis etiam negligitur: tenues filios suos ad virtutem & litteras minimo sumptu educare possint, si occasione vtantur, quos ia-

cere in sordibus in perpetuum oporteret. Ex  
ijs igitur, quæ dixi, omnia sapienter & benignè  
à duce nostro deliberata & præstita, non existi-  
mo esse obscurum. Etsi enim non nisi deline-  
atæ laudes vtriusq; fundatoris & alijs videri  
potero, & mihi ipse videor: tamen ex ijs, quæ  
in medium attuli, illustrium beneficiorum  
magnitudinem sani bonorum animi existi-  
matores, perspexerint. Reliquum esse intel-  
ligo, vt oratione ad tantorum bonorum au-  
ctorem conuersa, ipsius regię beneficentiæ &  
exquisitis verbis gratias agam, & academiam  
& omne genus bonarum disciplinarum, & o-  
mnem familiam hominum doctorum denuo  
commendem. Verùm cum nec firmitate la-  
terum, nec contentione vocis, nec orationis  
splendore ac vi, tantum valeam; descendam  
ad id, quod in me est: præsertim cum gratus  
noster hic animus amplius latere non possit,  
& dux noster, quod cœpit opus diuinum, si-  
bi vltro curæ semper habiturus sit, vt pro vni-  
us salute vota faciam, quæ nostræ salutis ratio-  
nem potissimam in se continet. Ad te igitur  
qui reuera vnus & solus es, etsi vt sis, & longè  
à sensi-

à sensibus nostris abest, nec mente accipitur:  
 multa tamen te ostendunt sensibus, & mens  
 id aduertentibus & negligentibus sua cuiq; de-  
 cantare non desinit: tu vero es sine tempore  
 absq; tempore, nec exstitisse, rectè diceris, nec  
 futurus esse, qui es, & cum sunt, quæ hodiè  
 sunt, & cum alia fuerunt, & alia futura sunt:  
 vbiq; vero cum sis, non contineris in quo lo-  
 co condita abs te sunt, quæcunq; te creante  
 sunt, nec sine ijs es, neq; ea absq; te sunt: ab  
 vniuersitate rerum non abes, nosq; ex admi-  
 rabili singulorum & ratione & ordine te esse  
 agnoscimus: in maiestate tua, te esse credimus,  
 & intelligimus, à cuius tamen intelligentia  
 remotissimo interuallo absumus: conditor  
 omnium, & custos, & seruator, & largitor bo-  
 norum, & eorum, quæ quisq; sibi habet, &  
 quæ cum multis communia, & quibus omnes  
 vtimur & fruimur, cum externis, tum corpo-  
 ris, tum animi: administrator omnium cum  
 sapientia sine molestia: omnium auctor &  
 gestor. sed tu ô ipsa quies, ipsum bonum, ipsa  
 beneficentia, ipsa veritas: ad te, supplices de-  
 missis, atq; vtinam ab omni labe puris, ani-

H 3

mis

mis accedimus. Tibi pro omnibus meritis,  
tum ijs, quæ agnoscimus, tum pluribus, quæ  
notitiam humanam fugiunt, gratias ex animo  
agimus: hodie vero nominatim pro hac sin-  
gulari bonitate, qui ducem nostrum HENRI-  
CVM IVLIVM, administrum beneficen-  
tiæ maiestatis tuæ, à te sapientiæ potentiæq;  
coniunctione salutari instructum, ad hosce  
populos miseris, eumq; nobis, hoc, & nostro  
& multarum circa gentium incredibili peri-  
culo, quasi ex ipsa morte seruatam reddi-  
deris: serua eum porrò Germaniæ, hisce pro-  
uincijs, academiæ Iuliæ, vt hoc duce & præ-  
fide, & calamitates à ceruicibus nostris pro-  
pulsentur, & vigeat pax cum alijs vitæ com-  
modis, & cum primis iustitia, cultusq; numi-  
nis tui, à te determinatus: sit academia nostra  
ædes concordiæ, schola modestiæ, officina  
virtutum & veritatis, tum cœlitus ostensæ  
miraculisq; confirmatæ, tum à te in primo  
nostro ortu cuique nostrum insitæ: sit fons  
consilij & felicitatis, nec nostris solum, sed  
etiam & patriæ & posteritatis vsibus. Hoc  
toto



333

toto animo petimus, & anxie à te expectamus. Tibi vni & trino, soli vero DEO, patri & filio & spiritui sancto fit laus sempiterna.

Habita Helmæstadij in 'academia IVLIA,  
XIIII. K. Maias.

---

CIO IO XCII.

F I N I S.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint text, possibly a title or author name, including the Roman numeral "XIX".

Faint text, possibly a name or title, including the Roman numeral "II".



AB

50A  $\frac{2}{h, 12}$


ULB Halle 3  
003 485 560




*Sch*

Rest.  
Sep./Okt 84 Schuss.







B.I.G.

Farbkarte #13

302  
17

25



NIS CASELII

PISTIKOS,

Siue *discipulo vno su.*  
CADEMIA. *M. Jo.*

*Supraint. G. G. G.*  
argumentum le

ctorem epistola plenius  
declaratur.

*J. W. Koenig*



ij in acad. IVLIA.  
ANNO

MDCCXII.

